



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. apa

Sábado 06.05.2017

Carta del Santo Padre al enviado especial en la ceremonia de clausura del Congreso Mariano de Kazakistán en la catedral de Nuestra Señora de Fátima en Karaganda, en el centenario de las apariciones de la Virgen de Fátima (13 de mayo de 2017)

El pasado 19 de abril se publicó el nombramiento del Emmo. Card. Paul Josef Cordes, Presidente emérito del Pontificio Consejo “Cor Unum” como enviado especial del Santo Padre en la ceremonia de clausura del Congreso Mariano de Kazakistán que tendrá lugar el 13 de mayo en la catedral Nuestra Señora de Fátima en Karaganda en el centenario de las apariciones de la Virgen de Fátima.

El Em.mo Card. Paul Josef Cordes estará acompañado por una misión pontificia compuesta por los siguientes eclesiásticos:

- Rev.do Anton Berger, párroco de San Miguel Arcángel (Charsk, diócesis de Karaganda)
- Rev.do Vadim Bielokopitov, ecónomo de la archidiócesis de Maria Santísima en Astana.

Publicamos a continuación la Carta del Santo Padre al enviado especial:

Carta del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro

PAULO IOSEPHO S.R.E. Cardinali CORDES

Praesidi olim Pontificii Consilii “Cor Unum”

“Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est” (Lc 1,48-49): haec Mariae Sanctissimae verba meditantes, laeto gratoque animo nuntium accepimus de eventibus, qui proximo mense Maio, occasione data centesimae anniversariae memoriae apparitionum Fatimae, Karagandae sollemni modo explebuntur. Diebus enim XI et XII memorati mensis Congressus Marianus Cazakistaniae agetur atque die XIII Celebratio conclusiva, nova in cathedrali ecclesia Karagandensi Dominae Nostrae Fatimensi dicata. Speramus et valde optamus quod tempus erit precis, meditationis atque spiritualis renovationis cunctis fidelibus dilectam terram Cazakistaniae incolentibus.

Fausta quidem hac occasione data, Venerabilis Frater Adelius Dell’Oro, Episcopus Karagandensis, humanissime rogavit ut aliquem eminentem virum mitteremus, qui Nostras vices memorato tempore ibidem gereret Nostramque erga istum gregem dilectionem manifestaret. Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus, qui Praeses olim fuisti Pontificii Consilii “Cor Unum” nec non singulari excellis erga Matrem Dei devotione. Idcirco harum Litterarum vi Te designamus **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM**, mandatis Tibi factis, ut die XIII proximi mensis Maii in cathedrali ecclesia Dominae Nostrae Fatimensis Karagandae sacris celebritatibus Nostro nomine praesideas atque Nostros pastorales sensus fidelibus ibi congregatis humaniter renunties. De Beata Maria Virgine loquens omnes, eius exemplum praebens, ad altiore etiam spiritalem vitam ducendam ea intercedente adhortaberis.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, consalutamus Praesules, qui illuc etiam aliis ex Nationibus sunt venturi, christifideles laicos, publicarum auctoritatum mulieres virosque qui celebrationem participabunt, precibus Nostris omnes comitamur atque eos rogamus ut praeceptum caritatis in vita cotidiana usque diligentius servare pergant. Oportet enim ut cuncti fideles novis viribus novoque studio peculiarem dilectionem Christi Ecclesiae demonstrent atque fidei alacritatem.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis celebrationis participibus transmittendam. Placet asseverare Nosmet Ipsos, illo die Fatimae adstantes atque pro Ecclesia totoque orbe orantes, singulari modo necessitates fidelium Cazakistaniae intercessionem Beatae Mariae Virginis de Fatima esse concredituros.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVI mensis Aprilis, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS
